
DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

C O L I C A.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

C O L I C A ;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

SAMUEL WARNEFORD,

ANGLO-BRITANNUS.

- “ Post, ubi commovit vis ejus, et impetus acer,
“ Tum perterricrepto sonitu dat missa fragorem.
“ Nec mirum, cùm plena animae vesicula parva
“ Saepe ita dat pariter sonitum displosa repente.”*

LUCRET.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

Viro integerrimo,
SAMUELI WHITBREAD,

ARMIGERO,

E Legatis Plebis

In

Comitiis Britannicis

Uni;

Non solùm

Ob

Beneficia in illum collata,

Et amorem,

Quo

Illum,

Teneris ab annis,

Caris eheu! parentibus

Orbatum

Prosecutus est;

Sed etiam

Ob

Morum suavitatem,

Et

Hominum generis amorem;

Hanc disputationem

Grato animo

D. D. CQUE

SAMUEL WARNEFORD.

Praeceptori dilecto,
JACOBO PENROSE,
ARMIGERO,
Hatfeldiae,
in
Hertfordiae Praefectura,
Artem Apollineam
Peritè et prosperè
Exercenti ;
Ob
Monita ejus
Ad
Rem medicam
Pertinentia,
Et
Firmam amicitiam,
Qua
Illum
Dignatus est,
Perexiguum hoc
Grati animi
Signum
Offert
Devinctissimus

SAMUEL WARNEFORD.

DISPUTATIO MEDICA
JACOBO PRINROSE

AMBERGO
IN AUCURALIS
HABITANS

in

Medicinae Facultate

Aram Apollineam

Patri et patriae

C O R P O R I S
C A

Morsis eius

Ad

Rem medicinae

Practicae

Et

I. GORCI, de qua supra in summo est dis-
putare, morbus perniciens est; interdum
deturcitur; et per seipsum saepe repetens;
sic etiam, ut vixit quomodo nihil modo

Grati animi
multum deus

Esperam

Optat

II. Nonnulli dicunt, quod vixit, quae
caeteris, SAMUEL WARRINGTON.
modo, modo locum, quae vixit

tan

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

C O L I C A .

§ I. *COLICA*, de qua nobis in animo est disputare, morbus perfrequens est; interdum peracutus; et, per aetatem saepe repetens, sic cruciat, ut vitae spatio modò nihil, modò multum demat.

II. Neutri, prae altero, sexui; nulli, prae caeteris, aetati; ex toto, parcit. Sed mares modò, modò foeminas tentat: nunc nescios

fari infantes vexat; nunc superbientes viribus juvenes; nunc firmos aetate medios; nunc aetate proventus, quibus corpus annis infirmum est, ingenium sapientiã validum.

III. Verùm nonnulli tamen, prae caeteris, sunt huic morbo opportuni. Quo autem consistat haec opportunitas, certò affirmare non possumus. Hoc, neque amplius, compertum habemus, infantes et annis graves saepius, quàm aetate medios, intestinis cruciari; ignavos, quàm laboriosos; qui re frumentariã vescuntur, aliisque quae ex iis parant, quae gignuntur e terra, quàm qui, meliøre vitae conditione gaudentes, magnã ex parte, carnibus aluntur.

IV. 1. In quibusdam etiam, prae caeteris, regionibus terrarum orbis, hoc morbo hominum genus torquetur. Ita est, ut nobis videtur, vel propter insalubrem diaetam; vel

vel propter agrorum conditionem, et caeli naturam; vel, ut saepius accidit, omnia haec simul.

2. ÆGYPTII, ut certiores nos facit VOLNEIUS *, auctor perelegans, et nuper acer GALLICÆ libertatis vindex, qui, haud ita multis abhinc annis, apud eos, scientiae causâ, aliquandiu peregrinatus est, saepe et gravissimè ex intestinis laborant. Eorum enim cibus est res frumentaria, mel, caseus, conditivae uvae, aliaque, quae vel firmissimis stomachis aegerrimè diducuntur. Quinetiam, prae ardore propinqui solis, eorum humores intrinsecùs ad summam cutem nimis evocantur. Hanc ob rem, tenuioribus ingestorum partibus ex alvo absorptis, et extrorsum derivatis, reliqua excrementa siccescunt,

* Vid. VOLN. *Travels through SYRIA and EGYPT in the years M,DCC,LXXXIII.—IV.—V.* vol. I. edit. LOND. M,DCC,LXXXVII.

cescunt, concrescunt, imò durescunt; atque, prae duritia, saepenumero committunt, ut ex gravissimis intestinorum doloribus a miserrimo hoc hominum genere laboretur.

V. Nonnulli, ob quandam intestinorum conditionem, quae ab alterutroque parente ad eos pervenit, ad colicum dolorem proclives existunt. Quaedam enim, prae caeteris, familiae solent intestinibus dolere. In quo verò vertatur haec proclivitas, affirmatè dicere non possumus. Nobis equidem verisimillimum videtur, eorum intestina, vel, ob nimiam irritabilitatem, in spasmus rapi apta esse; vel, prae torpore, adeo aegrè et cunctanter moveri, ut excrementis commorandi et concrescendi locum praebeant.

DE COLICA.

DEFINITIO.

VI. Cùm in definitione neque abesse quicquam deceat, neque redundare; eam, quam scriptis tradidit CULLENUS, utpote expletam omnibus ferme numeris et partibus, in medio ipsius verbis ponemus.

“ Dolor abdominis, praecipuè circa umbilicum, torquens; vomitus; alvus adstricta *.”

SIGNA.

VII. Morbus, ad quem hìc disputare propositum est, in intestino pleniore est; in ea maximè parte, qua ii, qui incidunt corpora, caecum et colon esse proposuerunt.

VIII.

* Vid. CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.* tom. II, gen. LIX.

VIII. In parte, ubi laboratur, vehemens fit inflatio; atque contentus invitè spiritus, ubique eluctans, non solùm colon, ubi arcum sinuat, sed, aegro iudice, etiam vicinas utrinque partes multopere distendit. Ab omni autem parte impeditus, ne transmitatur, et oppositis circà parietibus quoquo-versum obnitens, gravissimos concitat dolores; qui, praecipuè circa umbilicum, ubi maximè intenduntur, perinde sunt, ac si interanea vehementissimè torquerentur.

IX. Eodem (VIII.) tempore, musculis sese inaequaliter contrahentibus, umbilicus, et vicina circumcircà tegmina, introrsum sic retrahuntur, ut externum abdomen, hìc concavum, illic convexum, vesiculam globis impletam repraesentet*.

X. Praeterea, praecipuè si magna vis

mor-

* Vid. CULLEN. *First Lines*, § M,CCCC,XXXVI.

morbi sit, aeger rejicit non solùm contenta ventriculi; sed etiam sic *duodenum* deplet, ut in iis, quae vomuntur, multum bilis persaepe conspiciatur. Vomitiones modò concitantur assumptis cibo et potu, modò intenduntur: interdum vomitio et singultus vi-ces alternant: haud rarò, vomitione sedatâ, summa cutis manat frigido sudore.

XI. Interdum, si maxima vis morbi urgeat, intestina, per totam longitudinem, vertuntur, usque eò, ut non solùm cibus, sed etiam stercus, per os reddatur. Quinetiam, cùm eò processum sit gravitatis, quae per anum immittuntur, ea suprâ erumpunt.

XII. Quoties vomitus sic vehementer vexat, morbus *ileus* nominatur, et a nonnullis pro alio, ac colico dolore, morbo habetur. CULLENUS autem, cui, hac de re, accedimus, opinatur, ileum et colicum do-
lorem

lorem genere convenire, et gradu tantummodo differre; cùm praesertim iisdem causis concitentur, iisdem sanentur remediis.

XIII. Hic morbus plerumque incipit ab alvo adstricta; neque profectò aeger doloribus priùs levatur, quàm vel sponte vel medicamentis alvus et spiritus infrà transmitantur.

XIV. Colicus dolor saepe neque febrem habet, neque inflammationem. Interdum autem fit inflammatio ejus partis intestinorum, qua sedes morbi est; quae, cùm primùm supervenerit, omnia signa semper intendit, atque, ut plurimi putant, committit, ut, per totam longitudinem, intestina (XI.) vertantur.

XV. Quibus ita (XIV.) videtur, ii censent, stercus per os redditum indicare, intestina

tina jam inflammationem cepisse. Aliter autem videtur CULLENO. Contendit enim, uti interdum, nullâ stercoris vomitione, intestina inflammationem capiunt, ita interdum, inflammatione intestinorum nullâ, stercus vomit; ideoque, etiamsi stercus suprâ transmittatur, tamen non esse, quare intestina inflammationem cepisse, aut ileum et colicum dolorem genere differre, aliquis existimaret.

DIAGNOSIS.

XVI. Morbi, quibus ulla communia sunt cum colico dolore, sunt *enteritis*, *diarrhoea*, *cholera*, et *dysenteria*. Res igitur postulare videtur, ut, quibus notis ille ab his morbus dignoscatur, quàm paucissimis dicamus.

XVII. 1. *Enteritidis*,—maximè *phlegmonodeae*, et ejus gradûs colici doloris, cui *ileo*

nomini est, tot communia sunt signa, ut illam hoc dignoscere imprimis arduum sit. Attamen, percunctati ab aegro aut amicis, quemadmodum et ex quibus causis se malè habere coeperit, et, ejus carpo manu admotâ, cognitâ febre qua implicetur, noscere, utro morborum laboret, plerumque poterimus.

2. *Enteritis* enim a febre incipit, eâque sanè gravi; contrà, ileo, aliquot post dies, quàm ab alvi duritia inceperit, supervenit febris, et ea initio ardens. Quinimo, ille morbus, interdum speciali causa concitatur, velut intestino ex abdomine devoluto, quod stercore accepto vastiùs tumet, retròque compelli non potest.

XVIII. *Diarrhoeae*—et colici doloris communia sunt interanea tormina. Ii autem, quos diarrhoea arripuit, lenioribus torminibus

minibus affliguntur; et eorum alvus et spiritus infrà transmittuntur: contrà, quos cruciat colicus dolor, ii acerbioribus anguntur; atque ex eorum intestinis neque stercus infrà erumpit, neque spiritus.

XIX. *Cholera*—et colicus dolor communia habent interanea ad umbilicum tormina, et vomitum biliosum. Sed, in illo morbo, tormenta tolerabilia sunt, prae iis, quae in hoc sunt; et, praeterea, magna vis bilis infrà erumpit, atque saepe etiam crura manusque contrahuntur.

XX. *Dysenteria*—aequè, ac colico dolore, intestina profectò torquentur, et naturales faeces non infrà emittuntur. Verùm dysentericis, secùs atque iis qui colico dolore cruciantur, abest vomitus: dum frequens dejiciendi cupiditas, dolorque in ano est; atque ex intestinis modò cruor manat, modò

modò quaedam quasi mucosa excernuntur,
 modò quaedam carnosae descendunt*, etiam
 interdum omnia haec simul dejectun-
 tur. Quinetiam, ille morbus semper †, hic
 nunquam, speciali contagione concitatur.

XXI. Memoratis quibusdam (xvii.-xx.)
 notis, quibus colicus dolor distinguatur ab
 aliis (xvi.) morbis, quibus cum eo quaedam
 communia sunt; proximum est, ut, quibus
 causis proveniat, dispositè expediamus.

CAUSÆ REMOTÆ.

XXII. Ex causis, quae committunt, ut
 colico dolore homines laborent, nonnullae
 tantùm corpus reddunt aptum, quod eo cor-
 rumpatur;

* Vid. AUREL. CORNEL. CELS. *de Medicina*, edit.
 ALMELOVEENIAN, lib. iv. cap. xv.

† Vid. CULLEN, *First Lines*, § M, LXXV.

ripiatur; aliae, in apto jam corpore, eum movent. Illas, *praedisponentes*, medici cognominant; has, *excitantes*. De utroque genere, fusiùs disputandum est.

XXIII. *Praedisponentes*.—Proclivitas in colicum dolorem consistit, ut nobis videtur, vel in torpore intestinorum, ob quem cunctanter et remissè sese astringunt et relaxant, et sic excrementis intus remorandi locum praebent, donec, absorptis tenuioribus partibus, usque eò durescant, ut aegerrimè infrà transmittantur; vel in nimiâ eorundem irritabilitate, prae qua, facilè in spasmos trahuntur.

XXIV. Intestinorum (XXIII.) torpor et irritabilitas, modò congenitâ quadam infirmitate derivantur; modò, progrediente vitâ, causis efficiuntur, quae corpus imbecillum, et ad munera invalidum reddunt. Harum nonnullae

nonnullae rectà, aliae minùs rectà, corpus infirmant.

XXV. Prioris (XXIV.) generis sunt frigus, inferioribus maximè membris admotum; diaeta vel parca nimis, vel parùm nutriens, vel qualis in ventriculo tardè et aegrè diducitur; animus sive veris sive fictis miseriis diu demissus; exinanitiones magnae; ignavia; aliaque horum, quòd ad effectus, assimilia.

XXVI. Secundo (XXIV.) genere comprehenduntur, ea, quotquot sunt, quae, nimis vehementer nimisve diu incitando, universum corpus, praecipuè autem ventriculum et intestina, infirmaverint. Talia sunt ebrietas; multus condimentorum usus; motus animi turbati; frequens VENERIS congressus; longa insomnia, maximè lucubratio; magna vis caloris diu corpori admota.

XXVII,

XXVII. *Excitantes.*—Causa, ex qua, sicuti ex communi trunco, enascuntur omnia mala, quibus versantur ii, quos *colica* arripuit, est, nobis iudicibus, vel spasmus coli, sine praeviâ alvi duritiâ; vel alvi dūritia, sine praevio coli spasmō; vel utraque haec simul.

XXVIII. Cūm ita (xxvii.) sit, quae colicum dolorem concitant, ea triplice genere continentur. Sunt enim, vel qualia, duritiâ nullâ, spasmum efficiunt; vel qualia, spasmō nullo, efficiunt duritiam; vel, demum, qualia simul efficiunt et duritiam et spasmum. De his generatim et deinceps perpauca dicere, haud alienum erit.

XXIX. *Genus* (xxviii.) *primum*,—omnia complectitur, quae sive externo corpori admota, sive in ventriculum assumpta, jam irritabilia nimis (xxiii.) intestina quoquomodo

modo irritant; adeo ut pertinaces capiant spasmos, prae quibus, stercus et spiritus infra transmitti nequeunt.

XXX. Hujus (xxix.) generis sunt venefica quaedam, ex iis quae e terra effodiuntur; acida et acria, justo saepius et uberiùs ore assumpta; frigus cum humore, summo corpori, praesertim extremis inferiorum partibus, admotum, et, prae miranda partium communitate et consortione, debilitate intestina afficiens; *spinalis* medulla, unde enascuntur nervi, qui, rectà minùsve rectà, intestino colo surculos largiuntur, vertebris contusis, vel fractis, vel luxatis, vel demum aliâ quavis causâ, laesa; *meconium* infantûm recenter natorum, intestinis remorans; quotidiana ebrietas; bilis justo parciùs in intestina infusa; conereta in intestino caeco formata, et hinc in
colon

colon devoluta; aliaque, demum, quae longum esset memorare.

XXXI. *Genus* (XXVIII.) *secundum*—rem alimentariam comprehendit, vel quam non, ex toto, dissolvere potest ventriculus; vel quae, licet penitus dissoluta sit, tamen, aut quia intestina ad dejiciendum non satis incitat, aut quia, ob lentorem et tenacitatem, concresecendo apta est, in alvo diu moratur, et in duritias concresecit.

XXXII. Hujusmodi (XXXI.) alimentum, partim constat ex iis, quae fundit foeta tellus; partim ex iis, quae aquis vivunt; et partim ex iis, quae terrae munere vescuntur. De his capitulatim pauca dicere, nobis in animo est.

XXVIII. Quò autem ea, quae nobis in mentem veniat proferre, magis in aperto sint

ad intelligendum, neutiquam a re nostra erit interdicerè, primùm, haudquaquam, quemadmodum alimentum quodlibet cuivis noceat, ex cognitis in nosmetipsos vel alios effectibus, judicandum esse; sed magis ex cognitis hujus, quantum valeant, concoquendi viribus: deinde, naturam sapientissimo consilio corpora nostra ita fabricatam esse, ut, primâ aetate, organa concoctioni dicata, multo, quàm adultâ aut virili, faciliùs ad rei alimentariae naturam sese aptent; ideoque ea, quibus, a teneris annis, quotidie vesci consuevimus, multo citiùs confici, quàm quae, maturâ jam aetate, cùm primùm assumimus. His obiter dictis, ad rem redeamus.

XXXIV. *Caput (XXXII.) primum.* Hoc comprehendit ea ferè omnia, quae ad nucum genus pertinent, scilicet juglandes, nucs amaras, nucs avellanas, nucs Graecas

seu amygdalinas, nūces castaneas, aliasque harum genere assimilēs. Hae omnes, si nimio usu quis dulcedine motus sibi indulgeat, colicum dolorem concitant. Praeterquam enim quòd perpauci iis, a tenerâ aetate, multùm vivere sese assuefecerunt, oleo abundant, quod obstat, ne ventriculi succo penitùs dissolvantur. Quinimo, etiamsi fuerint penitùs dissolutae, tamen earum amyllum, prae tenacitate, qua pollet humectum, aptum est, quod in alvo nimis diu moretur, et duritiâ ferè lapidescat.

XXXV. Caseus quoque, et recens et vetus, sed hic magis, si quando eo multùm utantur, in quibusdam colicum dolorem movet. Neque profectò hoc mirum est; cùm praesertim non modò in stomacho aegrè solvatur, sed etiam hinc in alvum transmissus, ad concreendum et indurescendum cumprimis pronus sit.

XXXVI.

XXXVI. Lac, porrò, ipsum, et lactentia, in quibusdam, imprimis autem iis, quibus, a primâ aetatulâ, in potulentis et esculentis parùm fuerunt, haud rarò committunt, ut intestina colico dolore crucientur. Coagulatur enim lac in stomacho, et, nisi in *duodeno* commixtâ cum iis bile resolvantur massulae, efficit, ut venter admodum indurescat. Huc accedat, quòd lac, lacteique humores, alvum coactam reddunt, quippe quia, prae miti naturâ, ad intestina incitanda parùm valent.

XXXVII. Ad hoc, non desunt, qui compressâ alvo et colico dolore laborant, siquando, alio deficiente, non ita soliti, per paucos dies, mensis panem edant, ex farina triticea vel fabagina, vel ea pisi, confectum; sed qui quotidie desident, si, pro pane communi, avenaceo utantur. Quianam ita est? Quiane panis avenaceus intestina magis concitat,

éitat, et ad concrendum minùs proclivis est? Ita prorsùs existimamus.

XXXVIII. *Caput (xxxii.) secundum*—complectitur pisces et suffitos, et salitos, et sole arefactos; qui, propterea quòd succo ventriculi ferè indissolubiles sunt, aegerri-
mè diducuntur; et qui, ob concrendi proclivitatem, quae iis inest, alvo cuncta-
bundi, tardissimè descendunt.

XXXIX. *Caput (xxxii.) tertium*—con-
tinet carnes, quales sint cunque, quae sale
diu conditae sint, vel fumo arefactae. Hinc
fumosae pernae, sicubi iis quisquam mul-
tùm vivat, non solùm adstrictam faciunt
alvum, sed etiam haud rarò colicum dolo-
rem movent. Quippe enim cùm in ventri-
culo parùm dissolubiles sint, in alvo per-
saepe duritiâ ferme lapidescunt; atque, quò
minùs infrà transmittantur alia alimenta,
obstantes,

obstantes, committunt, ut intestinum supra magnopere distendatur, et vehementissimè doleat.

XL. *Genus (XXVIII.) tertium*—omnia ea in se continet, quae duritiam simul efficiunt et spasmum. Hujusmodi sunt fructus acerbissimi et immaturi: qui non solum, prae acore, quo redundant, intestina debilitant, et motum eorum vel salubrem sedant; sed etiam, stomachi liquore insolubiles, tardissimè descendunt, et haud rarò aliquam coli partem praeobturantes, subsequenti stercori ineluctabile praepedimentum objiciunt. Hinc eorum improvido usu saepenumero movetur colicus dolor, quem vel efficacissima medicamenta nequeunt abstergere.

CAUSA

DE COLICA.

CAUSA PROXIMA.

XLI. Quod, sicuti truncus communis, omnes hujus morbi surculos vel signa progerminat, id est vel spasmus inferioris alvi vehemens, vel vehemens ejusdem distentio. Secùs enim, ac nonnulli jure magni nominis medici asseruerunt, interdum praeivium spasmum subsequitur distentio, aliàs praeiviam distentionem spasmus.

XLII. Retur CULLENUS, causam, ex qua, sicuti ex communi parente, omnia morbi, de quo disseritur, signa progignuntur, esse spasmum alvi inferioris, impediens, quò minùs stercus infrà transmittatur. Ejus verò opinioni, quam non confirmavit argumentis, habemus, quae contradicamus.

XLIII. 1. Primùm opinioni (XLII.) CUL-
LENI contraimus, quia, si vera haec esset,
colicus dolor, secùs atque accidit, semper
sanaretur medicamentis, ex iis, quae magnâ
incitandi et spasmum solvendi facultate pol-
lent.

2. Deinde, huic (XLII.) auctori opinione
non accedimus, quòd in tubo, qualis est al-
vus, contentis, ne descendant, obstari potest
ab alterutrâ ex duabus causis; scilicet, vel
tubi ipsius spasmò, ob quem neque contenta
etiam liquida, nedum concreta, descendere
queunt; vel contentis ipsis aliquà concretis,
et in lapidosam ferme duritiam solidatis,
quae, per tubum et naturalem, sine gravis-
simo dolore nequeunt infrâ transmitti.

XLIV. Ex his (XLIII. 1. 2.), nostra opi-
nionè, conficitur, spasmum, quamvis per-
saepe, neutiquam tamen semper, ut opina-
tur

tur (XLII.) CULLENUS, eam esse causam, qua, intermedio nullo, colicus dolor movetur.

P R O G N O S I S.

XLV. De eventu hujus morbi judicandum est, ex cognitis causis, quae concitaverint, et signis, quibus notetur.

XLVI. 1. Si venenis metallicis provenerit, aut contuso dorso, aut concretis magnis aliqua alvi parte fixis, malum est.

2. Ubi intestina efflictim torquentur, et dolor vehementer cruciat; ubi, vel efficacissimis medicamentis opportunè adhibitis, vis morbi nihildum minuitur, imò, alvo etiamnum coactâ, potiùs intenditur; malum iterum.

D

3. Cùm,

3. Cùm, medicinâ frustrâ obstante, alvus inflammationem ceperit, et febriverit aeger; et cùm, haud multò pòst, dolor cessaverit subitò, plerumque in propinquo, imò in limine, est mors.

XLVII. 1. Contrâ, quando morbus, concitatus est causis, quae, ut spasmo corripitur alvus, efficiunt, bonum est.

2. Optimum est, cùm, post medicamenta assumpta, remittat dolor, et stercus infrâ transmittatur, majorem adhuc remissionem efficiens.

P R O P H Y L A X I S.

XLVIII. De hac rei nostrae parte, non opus est multa dicere. Ne enim morbus, de quo agitur, accidat aut redeat, praecaveri potest,

potest, evitando causas, quibus solet concitari, et committendo, ut his causis intestina aegriùs afficiantur.

XLIX. Quae hae (XLVIII.) causae sint, suprâ (XXVII.-XL.) jam fusè diximus; et, ut evitentur cognitae, plerumque tantùm opus est, hominem, quem colicus dolor semel vexaverit, eas cognoscere.

L. Committendum (XLVIII.) est, ut alvus causis colici doloris concitatricibus minùs opportuna fiat, regimine, et, si opus sit, medicinâ eam usque eò roborando, ut minùs, quàm (XXIII.) antea, aut torpida aut irritabilis evadat.

LI. Caeteris rei nostrae partibus, pro facultate, absolutis, nunc opus est, ut solam, quae superest, partem persequamur. Quapropter, quàm brevissimè, at ordinatè tamen,

men, qua ratione sanetur colicus dolor, expediamus oportet.

RATIO MEDENDI.

LII. Cognitis (XXII.-XLIV.) causis colici doloris, oportet, ut nobis videtur, medicum, cujus sit, eum sanare, spasmum alvi solvere, deinde stercore hanc vacuefacere. Quo modo, et quibus haec faciat, dispositè exponere nostrum est.

DE SPASMUM SOLVENDO.

LIII. Medicamenta, quae ad spasmum solvendum plurimùm pollent, sunt sanguinis missio; calor; exulceratoria; opium; et mitia quaedam olea.

LIV.

LIV. *Sanguinem*,—si aeger juvenis et validus sit, et si simul sit, quamobrem inflammationem vel supervenisse, vel propè esse ut superveniat, suspicemur, priùs mittere, quàm alia medicamenta adhibeantur, oportet. Rebus enim ita sese habentibus, opportuna sanguinis missio, praeterquam quòd spasmum aliquatenus solvit, non solùm occurrenti inflammationi obstat; sed etiam, ad committendum, ut inflammatio, quae jam acciderit, solvatur, et ne hanc consequantur mala, multùm sanè pollet.

LV. *Calor*—hoc morbo laborantibus, ministris vel siccis vel humidis, admoveri potest.

i. *Sicca*, quorum ope calor iis, quos vexat colicus dolor, admoveatur, sunt animal vivum abdomini admotum, vel vesicae calidâ aut aquâ aut arenâ impletæ, huic super-

perimpositae. Haec autem, etiamsi dolo-
rem interdum multum levent, rarissimè ta-
men ad morbum, ex toto, sanandum satis
pollent.

2. *Humida*, quibus efficere possumus, ut
a hoc morbo implicatis caleatur, sunt aqua
calida, in quam corpus vel omnino, vel sep-
to ferme transverso tenus, immergitur; vel
lanea ex aquâ tepidâ expressa, quibus abdo-
men fovetur. Calor autem illo modo ad-
motus, plùs, quàm hoc, proficit, quia longè
plures simul corporis partes penetrat. Quòd
si, ut interdum est, incommodum sit aegro
in aquam calidam descendere, tum succidis
hac laneis abdomen et inferiora membra fo-
vere, sicuti peropus erit, ita multum forsi-
tan proderit.

LVI. *Exulceratoria*.—Spasmus, quo, dum
ex colico dolore laboratur, abdominis mus-

culi corripuntur, satis supèrque ostendit, quantum his cum intestinis consortium intercedat. Hoc cognito, medicis in mentem venit, forsitan fore, ut, ob hanc consortionem, externum abdomen exulcerare aut rubefacere plurimùm prodesset. Res tentata, neutiquam, id quod testantur plurimi medici, secùs opinione processit: perrarò etenim accidit, ut exulceratoria et rubefacientia, si tempestivè abdomini imponerentur, non colicum dolorem levarent.

LVII. *Opium*—autem omnibus aliis, quae assumuntur ut spasmus solvant, omnium opinione, praepollet. At eodem tamen tempore, quo spasmus solvit, committit, ut intestina sese remissiùs astringant atque relaxent, ideoque ut pigretur alvus.

LVIII. Cùm ita (LVII.) sit, minimè mirandum est, nonnullos summis laudibus opi-

um prosequi, dum alii intendunt omnes nervos, ut nobis persuadeant, hoc morbo laborantibus multum nocere. Quod si, ut supra (XLI.) memoravimus, causa, quae, quasi communis truncus, progerminat omnia signa colici doloris, est interdum spasmus intestini, interdum vehemens hujus distentio, opinio utrobique contendentium partim vera est, partim falsa; cum praesertim nonnullis hoc dolore cruciatis multum sanè noceat, dum aliis plurimum proficit.

LIX. Quoties, praeviâ nullâ alvi duritiâ, colicus dolor aliquem vexat, et ideo est, cur, spasmum esse *proximam* ejus causam, opinemur; toties aegro, ut opium adhibeat, praecipere medicum oportet. Hoc enim, soluto alvi spasmo, dolorem sanaturum esse, verisimillimum est. Quod si colicus dolor alvo astrictae supervenit, et sic dubitari vix potest, quin ille hujus duritiae effectus sit;

tum,

tum, nisi vomitio vehemens obstet, quò minùs assumpta cathartica proficiant, opium vitandum est; cùm praesertim committendo, ut intestina sese minùs enixè astringant et relaxent, quàm ad induratum stercus infrà transmittendum sufficiat, morbum adeo non levaret, ut intenderet magis.

LX. *Olea mitia*,—ut idonea medicamenta, quibus spasmus solvatur, a medicis memorata sunt; et, si ventriculo convenient, non ii sumus, qui dubitemus, quin multùm proficiant. Quoniam autem plurimi sunt, quorum ventriculis cumprimis aliena sunt, periclitandi, quid possint contra spasmum intestinorum, locus medicis persaepe non suppeditatur.

DE STERCORE ALVUM VACUEFACIENDO.

LXI. Medicamenta, quibus alvus contentis faecibus vacuari possit, sunt alia atque alia cathartica vel devorata, vel in alvum ex parte inferiore data.

LXII. *Alvi ductio.*—Cùm colicus dolor sit in plenioribus intestinis, praesertim in colo, emollientia in alvum ex inferiore parte infusa, catharticis devoratis eo antecellunt, quòd ipsi parti laboranti admoventur, et, insuper, ventrem citiùs exinaniunt. Cathartica, porrò, devorata, persaepe per os priùs redduntur, quàm alvum movere poterint.

LXIII. 1. Initio in alvum immittenda sunt lenissima. Multa aqua tepida, quacum

cum concorporatur oleum mite, interdum ad spem respondet, et praesentaneum levamen affert.

2. Si hujusmodi (LXIII. 1.) mitiora, ad alvum subducendam non satìs valeant, oportebit efficaciora in hanc, per anum, dare, veluti sales medios. Ex his nullus, ut ait CULLENUS, saepius respondet, quàm sal communis.

3. Salibus etiam (LXIII. 2.) neutris parùm valentibus, CULLENUS praecipit, ut in alvum ex inferiore parte infundatur aqua tepida ex sena, vel ex alio cathartico, cujus virtutes aqua cocta elicere potest. Eodem auctore, *vinum antimoniale*, vel terebinthinum quid, iis superaddere, quae per anum injiciantur, interdum haud alienum erit.

4. Si,

4. Si, his (LXIII. 1. 2. 3.) omnibus deinceps datis, proventum sit nequiter, in alvum per anum, apti clysteris ope, *nicotianae* fumus immittendus est. FOWLERUS putat, aquam tepidam ex *nicotiana* adhuc plùs pol-
lere; sed, utrùm, necne, sic polleat, affirmatè dicere non possumus.

LXIV. *Purgatio*.—Quoniam in alvum ex parte inferiore data, etiamsi morbum levent, rarò satìs, ad penitùs curandum, valent, plerumque devoratis cathartìcis alvum movere opus est.

LXV. Cathartica autem ex iis, quae alvum acriter incitant, cùm et saepe pròtinùs ferè per os reddantur, et, si alvum non vacuefaciant, inflammationem concitent, non priùs tentari debent, quàm mitiora tentata secùs expectatione cesserint.

LXVI.

LXVI. Mitiorum nullum minùs aptum est, quod rejiciatur, aut ad spem saepius respondet, quàm *crystalli tartari*. Mitioribus quoque, quorum ope consequuntur colico dolore efflicti, ut ex inferiore parte ster- cus et spiritus transmittantur, annumeran- dum est oleum cicinum.

LXVII. His (LXVI.) non respondentibus, adhibenda sunt cathartica, ex iis quae intes- tina acriùs stimulant. Hujus generis sunt *jallopa*; *hydrargyrus muriatus mitis*; vom- itoria ex *antimonio* praeparata, exiguis, aliis brevi post alias, dosibus assumpta.

LXVIII. Si etiam haec (LXVII.) nihil valeant, tunc tantùm restat, ut intestina pleniora, colon nempe et rectum, magnâ vi aquae tepidae, per anum, clysteris ope, continuato rivo immissâ, quàm tutò possu-
mus

mus maximè dilatemus. Testantibus enim HAENO et CULLENO, hujusmodi dilatatio, post alia frustrà tentata, interdum ad spem respondit.

F I N I S.

